

42º CUR IN EJUS ASSUMPTIONE LEGATUR EVANGELIUM DE
MINISTERIO MARTHE, ET CONTEMPLATIONE MARIE.

XVI
159
2

Maria optimam partem elegit. (Luc. xi, 42.)—Nota Ecclesiam recte et apposite hæc legere in festo Assumptionis B. Virginis, tum quia B. Virgo officiosissima fuit Christi hospita, tum quia ipsa utrumque officium Marthæ, scilicet et Magdalenæ perfecte obivit, tum quia ipsa optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

Vide nostrum P. Canisium, lib. v, *Marialis*, cap. vii.

Audi S. Ildephonsum, serm. 5 de *Assump.*: « De ista dicitur, inquit, optimam partem elegit, quia prima omnium seminarum Deo virginitatem obtulit, et idecirco promeruit, ut Dei filius ex ea corpus nostræ redemptoris susciperet. »

XXI

MARIÆ NUNC DIGNITAS ET GLORIA.

4º MARIÆ ESSENTIALITER DIGNITAS.

Vocata est *Maria*, id est excelsa, sublimis, eminens a radice רָם, id est, excelsus fuit; vel *Maria* id est, domina, magistra et princeps: כּוֹרֶה *Mare* enim est dominus, magister, princeps a radice כּוֹרֶה *iara*, id est docuit, direxit, licet alii *Maria* idem esset velint quod myrrha vel amaritudo passionis, a radice כּוֹר *Marar*, id est amarusfuit. Accedit quod sit mater Dei sine patre, ipsa enim supplevit vicem patris et matris. Quare magis est mater Dei, quam sint matres hominum; hæ enim non dant totam substantiam filii sed partem unam duntaxat; nam alteram eamque præcipuum, dat pater.

IX
127
1.

Christus ergo totam humanitatem accèpit a matre omniaque sua, qua homo est, debet matri. Quocirca Christus deus et homo per hanc suam a virgine conceptionem et nativitatem factus est B. Virginis debitor, eique quasi matri et patri obligatur suaque accepta ferre debet magis, quam alii filii debitores sint his parentibus, iisque suum esse acceptum referre teneantur. Quæ sane magna est Deiparæ dignitas, magna filii Dei dignatio.

2º EST MUNDUS DIVINUS.

V
238
2 Cum eo eram cuncta componens. (Prov. viii, 30.)—
Mystice, haec omnia adaptes B. Virgini; ipsa enim quasi peculiaris et propria filia Dei; apud illum in omni sapientia et caritate enutrita fuit; ipsa vicissim in iisdem omnes homines enutrit, componit, promovet, efficitque ut tota Ecclesia, imo anima cuiuslibet fidelis et sancti, sit *agnus Christi* id est harmonice et ordinatissime coaptata inter citharae suavissime modulantis, ut ait Damascenus, orat. *de Nativ. Virg.* Adeoque instar cœli et mundi, qui a sui specie græce *zōtus*, id est ornatus et pulchritudo nuncupatur. Fuit enim ipsa cœlum animatum, et mundus quidam supramundanus ac divinus. Multis idipsum hic ingenio et pie prosequitur et confirmat noster Salazar. Ego actum non agam, et brevitati studens ad ulteriora pergo.

3º EST MUNDI REGINA, CUR.

Per me reges regnant et legum conditores justa decernunt. Per me principes imperant. (Prov. viii, 16) — A Christo hoc regnandi et imperandi jus participavit B. Virgo tanquam ejus mater. Regis enim mater regina sit oportet, uti concludit S. Athanasius in serm. *de Deipara*.

Idque primo, quia mater in filium regem jus habet maternum, quo ei quasi filio potest præcipere et imperare: quare hoc quoque jus habuit B. Virgo in Christum. Cum enim filius naturaliter parentibus subjectus sit, hinc sit ut quaecumque naturaliter

habet filius, eadem quoque parentibus cedant et obveniant. Christus autem naturaliter, puta ex via unionis hypostaticæ, habuit dominium in omnia; ergo idem obvenit quoque ejus matri. Unde ipsa a S. Athanasio, Ruperto, Ildephonso, Anselmo, Bernardo et aliis, imo a tota ecclesia salutatur « regina cœli et terræ, regina hominum et angelorum. »

Audi Damascenum, orat. 2, *de assumpt.*: « oportebat Dei matrem ea quæ filii erant possidere atque ab omnibus rebus conditis ut Dei matrem adorari. Quanquam etiam semper ita comparatum est, ut hæreditas a parentibus ad filios devolvatur; nunc autem (ut eruditus cuiusdam viri verbis utar), sursum sacerorum flamina fontes fluunt. Etenim filius matris omnes conditas in servitutem addixit. »

Audi et Rupertum in *Cant.* iv: « Haec in cœlis regina sanctorum, et in terris regina regnum est; quandoquidem est mater regis coronati, quem constituit Dominus super opera manum suarum, ac proinde regina constituta totum in jure possidet filii regnum. »

(Vide secundo, tertio et quarto. v. 213 et seq.)

4º EST ANGELORUM ET HOMINUM PANDORA.

In gratia omnis viæ et veritatis. (Eccl. xxiv. 25.) — B. Virgo est nostra Pandora, id est, omnis doni alma parens, de qua Tertullianus, lib. *de Corona militis*: « Si fuerit, inquit, aliqua Pandora (quam primam feminarum memorat Hesiodus) hoc primum caput coronatum est a Charitibus, cum ab omnibus numeratur unde *Pandora*. »

Meminit etiam Pandoræ S. Irenœus, *advers. hære-*

ses : « Quod autem, inquit, salvatorem ex omnibus aconibus factum esse dicunt, omnibus in eum deponentibus florem suum, non extra Hesiodi Pandoram novum aliquod afferunt. »

Meminit etiam hujus Fulgentius in *mytologia*.

Hæc ergo gratiarum omnium corona Pandoræ Christianæ, puta, B. Virginis, omni jure debetur. Quocirca a S. Ephrem, orat. *de Laud. Virg.* ipsa vocatur spes desperantium, peccantium adjutrix, mundi solatum, porta cœlorum.

5º EAM OMNIS LINGUA DOMINAM VOCAT.

I
571
2

*Sumpsit ergo Maria prophetissa, etc. (Exod. xv. 20.) — Maria hæc Virgo typus futuræ erat (uti docet S. Ambrosius *Exh. ad Virg.*) Virginis matris, puta B. Mariæ Deiparæ, qua magistra et domina est maris hujus sæculi, *mora* enim hebraice, et syriace *Mara*, tam dominam quam magistrum significat, maxime apud Syros. Hinc enim descendit illud *Maran Atha*, id est : *Dominus noster venit*. Syri enim magistrum vocant dominum. Sic et Hebræi dominum vocant *rab*, *rabbi*, *rabboni*, quæ communiter magistrum significant.*

Hanc esse veram etymologiam nominis Maria, ut dominam significet, patet

Primo ex eo quod ita nomen Maria interpretatur Epiphanius, serm. *de Laud. Virginis*; Damascenus, lib. IV *de Fide*, cap. xv; Eucherius, lib. II. *instruct.*; Chrysologus, serm. 146; Beda in cap. I *Lucæ*.

Secundo quod R. Haccados, doctrina et sanctitate celeberrimus ante Christum Hebræorum doctor,

Messiæ Matrem (scilicet B. Virginem) Dominam nuncupandam prædixit.

Tertio, quod liturgiaæ sancti Jacobi, Basilii, Chrysostomi, ad etymol. Mariæ alludentes, eam δέσποινα γηρων, id est dominam nostram, indigitant.

Quarto, quod Christiani omnes B. Virginem omni lingua, Dominam nostram, *notre dame*, *nuestra señora*, *onse lieue vrouwe*, quasi proprio nomine compellant.

Est enim ipsa Mater Christi, qui est primogenitus et Dominus omnis creaturæ : Unde et R. Haccados ipsum primam creaturam, et primum hominem appellat.

6º HABUIT, OB FILII DEI MATERNITATEM, DOMINIUM IN OMNIA.

V
213
2

Per mer me principes imperant. (Prov. VIII, 16.) — B. Virgo habet hoc omnium dominium, titulo Deiparæ. Tanta enim est dignitas et sublimitas esse matrem Dei ut poscat dominium omnium quæ in Dei sunt potestate et a Deo creata sunt.

Unde S. Augustinus, serm. 35 *de Sanctis* : « Quid dicam, ait, pauper ingenio, cum de te quidquid dixeris minor laus est quam tua dignitas meretur. Si cœlum te vocem, altior es. Si matrem gentium dicam, præcedis. Si formam Dei appelle, digna existis. Si Dominam angelorum vocitem, per omnia te esse probaris. »

Et S. Methodius, serm. *de Purific.* : « Luge, ait, quæ debitorem habes eum, qui omnibus mutuatur; Deo enim universi debemus, tibi autem etiam ille debet. »

7º ETIAM TURCE EAM DEPRÆDICANT.

IX
655
1

Mahomet, in Alcorano, de familia Adamar haec elogia dat B. Virgini : « Dixit, inquit, angelus Gabriel ad Mariam : O Maria, Deus te elegit, et docuit gratiam, et præelegit super omnes mulieres omnium sæculorum, et posuit te quasi novum medium, dividens inter homines terrenos et angelos Dei in paradiſo deliciarum. »

8º EST PLUVIA MARIS, DOMINA MARIS, CELSIOR MARI.

V
236
1

Quando circumdabat mari terminum suum. (Prov. VIII, 29) — Mystice, Deus initio mundi mare circumdans suo alveo quasi alvo, suisque littoribus quasi terminis respexit in hoc typo ad antitypum, puta ad B. Virginem, quam facturus erat Deiparam, ita ut illa simili modo suis visceribus conciperet et concluderet Dei Verbum, quod est mare et abyssus sapientiae, potentiae, virtutis omnisque sancti et boni, juxta illud Job., XXXVIII, 8 : *Quis conclusit ostium mare, quando erumpentebat quasi de vulva procedens; cum ponerem nubem vestimentum ejus, et caligine illud quasi pannis infantiae obvolverem?*

Hinc nomen ei inditum *Maria*, quod hebraice *primo*, significat amaritudinem maris a ~~τῷ~~ *mar*, id est *amaritudo et ἡ iam*, id est *maris*.

9º QUO PACTO CENTRUM DICI POSSIT.

V
237
2

Quando appendebat fundamenta terræ. (Prov. VIII, 30) — Mystice, id ipsum recte adaptas B. Virginis, in qua Deus, qui est centrum magnitudinis, ideoque

centrum creaturarum omnium, ut ait Trismegistus, sociavit se terræ et humanitati nostræ, quasi centro gravitatis, dum ipsa deitatem Verbi corporavit, sua que carne induit et vestivit. Mirum enim hoc fuit sapientiae opus, quæ ita deitatem cum humanitate temperavit ac libravit, ut humanitati accedat dignitas deitatis, et tamen deitati suus maneat honor et majestas. Ipsa vicissim est centrum, ad quod confidunt omnes creaturarum perfectiones, omnes angelorum et hominum prærogativæ ac dotes; item omnes hominum preeces, aerumnæ, tentationes, afflictiones, ut ipsa eos sustentet, sublevet, curet, et sanctet.

9º EJUS QUANTA SIT GLORIA.

V
217
1

Mecum sunt divitiae et gloriae, etc. (Prov. VIII, 18). — Mystice, gloria inter puras creaturas est quasi propria dos B. Virginis, tum quia ipsa uti gratia, ita et gloria est plenissima, omnemque omnium apostolorum, martyrum, virginum, hominum et angelorum gratiam et gloriam in se complectitur, ac multis parasangis transcendit; tum quia eam copiose fidelibus communicat: « quia hæc est voluntas ejus (Dei) qui totum nos habere voluit per Mariam, » inquit S. Bernardus, serm. *de Nativ.* Unde patres immensitatem gloriae Virginis, miris laudum praeconiis celebrant.

Andreas cretensis, orat. *de dormit. Virgi.* : « O sancta, inquit, et sanctis sanctior, et omnis sanctitatis sanctissime thesaure. »

Ad hunc gloriae cumulum immensum respiciens dicebat Ildephonsus, serm. 2, *de Assump.* : « Sicut

incomparabile est quod gessit, et ineffabile donum quod percepit, ita inestimabile atque incomprehensibile præmium et gloriæ, non dico inter cœteras sacras Virgines, verum etiam ultra omnes sanctos, quod promeruit. »

S. Chrysostomus in *liturgia* eam vocat « incomparabiliter gloriosiorem quam Seraphim. »

Petrus Damianus, serm. *de Assumpt.* ostendit rationem cur Virgo dicatur *pulchra ut luna*: « Virgo, ait, inter omnes sanctorum et angelorum choros supereminens et exulta, merita singulorum et omnium titulos antecedit, et quantumlibet aliae stellæ reuceant, luna tamen magnitudine præeminet et splendore: sic utramque naturam virgo singularis exsuperat immensitate gratiae et fulgore virtutum. » Deinde assert rationem cur dicatur *electa ut sol*: « Quoniam sol, inquit, lucidius incandescens, ita sibi siderum et lunæ rapit positionem, ut sint quasi non sint, et videri non possint; similiter et virga Jesse veri prævia lumiñis in illa inaccessibili luce prælucens, sic utrumque spirituum habet dignitatem, ut sint quasi non sint, et comparatione illius nec possint nec debeant apparere. »

Hoc ipsum prius significavit S. Hieronymus in *prologo ad Sophoniam prophetam*, ubi in commendationem mulierum commemoratis aliquibus ex veteri testamento: « Taceo, ait, de Anna et Elisabeth, et cœteris sanctis mulieribus, quarum velut siderum igniculos clarum Mariæ lumen abscondit. »

Idem habet Basilius Seleuciæ episcopus, orat. *de Annuntiat.*: « Virgo, ait, universos martyres suo splendore tantum excedit, quantum sol reliqua astra. »

S. Bernardus, serm. *Signum magnum*: « Jure, ait, Maria sole perhibetur amicta, quæ profundissimum divinæ sapientiæ ultra quam credi valeat, penetravit abyssum, ut, quantum sine personali unione creaturæ conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa. Illo nimis igne prophetæ labia purgantur et illo igne Seraphim accenduntur longe vero aliter Maria meruit, non velut summatim tangi, sed operiri magis undique et circunfudi, et tanquam ipso igne concludi. »

Bonaventura in *Speculo B. Virginis*, cap. vi: « Ecce, ait, quam gloriosum gloriæ Mariæ privilegium est, quod ipsa in gloria glorioissima est post Deum! gloriosum gloriæ Mariæ privilegium est, quod quidquid post Deum pulchrius, quidquid dulcior, quidquid jucundius in gloria est, hoc Maria, hoc in Maria, hoc per Mariam est. Gloriosum omnino gloriæ Mariæ privilegium est, quod quidquid post Deum major gloria nostra, majus nostrum gaudium est, de Maria est. » Unde S. Bernardus: « Summa gloria est, o Maria, post Dominum te videre. »

10º EST DOMINA MARIS HIJUS SÆCULI, ET AB OMNI LINGUA VOCATUR DOMINA NOSTRA.

Et nomen virginis, Maria. (Luc i. 27.) — Maria (soror Moysis), ait S. Ambrosius, *exhort. ad Virg.* typus fuit B. Virginis, quæ dicta est Maria, id est magistra et domina maris ejus sæculi, ut per illud nos salvos ducat in terram promissam, id est in cœlum.

Unde R. Haccados apud Galatinum, lib. vii, xiii, Messiae matrem dominam nuncupandam prædictit;

et Mariam idem esse quod dominam docent Philo, S. Hieronymus, Epiphanius et alii, imo liturgia veterum.

Christiani omnes omni lingua B. Virginem, quasi proprio nomine dominam nostram vocant, et compellunt. Unde S. Isidorus, lib. vii *Etymol.* cap. x : « Maria, ait, interpretatur *illuminatrix*, aut *stella maris*; genuit enim lumen mundi. Sermone autem syro Maria domina nuncupatur : pulchre, quia Dominum genuit. »

S. Hieronymus vero, in *nomin. hebr.*, in *Exodo* : « Maria, ait, idem est quod *illuminatrix mea*, vel *illuminans eos*, aut *smyrna maris*, vel *stella maris*. »

Sic et S. Gregorius Thaumaturgus, serm. de *Annunt* : « Maria, ait, interpretatur *illuminatio*. »

Plura de nomine Marie dixi, *Exod.*, cap. xv, 20, ac in *Proverb.* et *Canticis*.

11º FUIT CŒLUM ET FIRMAMENTUM.

<sup>V
211
2</sup> S. Bonaventura, serm. i *de B. Virgine* : « Virgo, ait, fecit cœlum, puta firmamentum, uniformiter semper motum per patientiæ firmitatē. Nam licet in ea aquæ inferiores, id et vires sensitivæ et sensibiles, fortissime fuerint concussæ in filii passione, superiores tamen a sua non fuerint pace commota. Et, licet sentia navis, id est pars sensibilis, repleta fuerit aquis maris, pars tamen superior navis semper ventis prosperis navigavit. »

12º MARIA EST DECUS, GLORIA, ET EXULTATIO, NON TANTUM JERUSALEM, SED TOTIUS ORBIS.

<sup>VI
331
1</sup> *Tu gloria Jerusalem, tu letitia Israel.* (Judith. xv. ii.) — Allegorice, Judith fuit typus B. Virginis. Hæc enim exultatio est decus et gloria, non tantum Jerusalem, sed totius orbis; non tantum Israelis, sed omnium gentium, non tantum synagogæ, sed universæ ecclesiæ.

Unde B. Gregorius Nazianzenus in *Tragœdia, Christus patiens*, eam sic affatur :

*Regina, domina, generis humani bonum
Amica semper esto tu mortalius,
Maximaque quovis in loco mibi salus.*

Cyrillus Alexand. homil *contra Nestorium*. « Sit, inquit, tibi sancta Dei mater laus ; tu enim es pretiosa margarita orbis terrarum, tu lampas inextingibilis, corona virginitatis, sceptrum orthodoxæ fidei. »

S. Chrysostomus, homil. *de Deipara*, ita eam salutat : « Ave, mater, cœlum, thronus Ecclesiæ nostræ, decus, gloria, et firmamentum. »

S. Ephrem, serm. *de Laud. Virg.* eam vocat « unicam spem patrum, gloriam prophetarum, præconium apostolorum, honorem martyrum, letitiam sanctorum, et lumen probatissimorum Abraham, Isaac et Jacob, decus Aaron, splendorem Mosis, Gedeonis vellus et cœtus hierarcharum, omniumque sanctorum ac virginum coronam, ob immensum fulgorem, atque splendorem inaccessum. »

Damascenus, orat. i *de Nativ. B. Virg.* : « Deo, inquit, digna filia, mulierum ornamentum, humani generis decus, tu patriarchis sempiterna oblectatio, prophetis percennis exultatio. »

13^o VARIA MARIE ELOQUIA.

Transite ad me omnes qui concupiscistis me, et a generationibus implemini. (Eccli. xxiv. 26.) — S. Ephrem, *de laud. B. Virg.* sic eam salutat : « Spes desperantium, per te reconciliati sumus Christo, Deo meo, filio tuo : tu peccatorum et auxilio destitutorum unica advocata es atque adjutrix ; tu portus naufragantium tutissimus, solatium mundi, carcere clausorum liberatrix celeberrima ; tu orphanorum suscep-
tio ; tu captivorum redemptio ; tu ægrotantium exultatio et omnium salus ; tu monachorum et solitariorum stabilimentum et spes sæcularium ; tu virginum gloria, corona et gaudium ; tu mundi lætitia. » Et iterum : « Tu enim noster es portus et præses, pia auxiliatrix. »

Et infra : « Ave periclitantium auxiliatrix, et jucunda libertas, fons gratiae et consolationis ; ave, peccatorum refugium atque divisorium ave laborantium propitiatorium ; ave, spes omnium proborum adversis casibus afflictorum, dulce conver-
sorum solamen atque præsidium ; ave, virorum pariter atque mulierum regina et patrona ; ave, nostra consolatrix, quæ mœrores sedasti et oppressorum molestias lenisti, cunctasque oppressiones sustulisti ; ave, clavis regni cœlestis ; ave portus tutissime in hoc vita navigantium ; ave, firma salus universorum Christianorum ad te sincere ac vere recur-
rentium ; ave, nostra omnium protectio insignis et gloria. »

Qui edunt me, adhuc esurient; et qui bibent me adhuc sient. (Eccli. xxiv. 20.) — S. Bernardus, serm. *in Visit.* : « Omnibus, inquit, omnia facta est

(Maria) sapientibus copiosissima charitate debitricem se fecit, omnibus misericordia sinum operit, ut de plenitudine ejus accipiant universi, captivus redemp-
tionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, angelus lætitiam, denique tota Trinitas gloriam, filii persona carnis humanæ substantiam, ut non sit qui se abscondat a calore ejus. »

Ego quasi trames aquæ immensa de fluvio. (Eccli. xxiv, 41.) — Iterum, Bernardus : « Altius intuemini quanto devotionis affectu a nobis Mariam voluerit honorem, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea noverimus, redundare, quæ as-
cendit deliciis affluens. Hortus plane deliciarum, quem non modo afflaverit veniens, sed et perflaverit superveniens auster ille Dominus, ut undique fluant et effluant aromata ejus, charismata scilicet gratiarum. Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum, ubi dies ? Tolle Mariam hanc maris stellam, maris utique magni et spatiosi, quid nisi caligo involvens, et umbra mortis ac densissimæ tenebræ relinquentur ? Totis ergo medullis cordium, totis præcordiarum affectibus, et votis omnibus Mariam hanc veneremur : quia sic est voluntas ejus, qui to-
tum nos habere voluit per Mariam. »

Et paulo superius : « Plenius equidem, inquit, aquæductus, ut accipiant cœteri de plenitudine, sed non plenitudinem ipsam. Nostis enim cui dictum est, ave gratia plena. Et inferius : ascendit plane supra omne humanum genus, ascendit usque ad angelos ; sed et ipsos quoque transcendit, et cœlestem omnem

superreditur creaturam. Nimirum super angelos hauriat necesse est, quam refundat hominibus aquam vivam. » Unde concludens ait : « Cœterum quidquid illud est quod offerre paras, Mariæ commendare memento, ut eodem alveo ad lagitorem gratiæ gratia redeat, quo influxit. Neque enim impotens erat Deus et sine hoe aquædueta infundere gratiam prout vellet; sed tibi vehiculum voluit providere. Forte enim manus tua, aut sanguine plenæ, aut infectæ munericibus, quod non est ab omni munere excussisti: ideoque modicum istud quod offerre desideras gratissimis illis et omni affectione dignissimis Mariæ manibus offerendum tradere cura, si non vis sustinere repulsam. Nimirum candidissima quædam lilia sunt, nec causabitur ille liliarum amator inter lilia non inventum, quidquid illud sit quod inter Mariæ manus invenerit. »

Maria ergo est trames, id est via in invio peccatorum, ipsa via in bivio deviantium, ipsa via in trivio dubitantium, et secure ad patriam in cœlum redirentium: Manat ex fluvio, id est ex Spiritu sancto, vel ex Christo, cuius aqua immensa est, immensa ejus redemptio, et gratiarum copia ex ea profluens.

Dixi: rigabo hortum meum plantationum, et inebriabo prati mei fructum. (Eccli. xxiv. 42.) — Misticæ hæc adaptes B. Virgini :

Unde Rupertus Abbas, lib. iv in *Cant.* : « Hortus conclusus, inquit, soror mea, sponsa, Dei genitrix. Ecce novus paradisus, novæ plantationes, quas plantavit unus idemque antiqui paradisi plantator, Dominus Deus. Ille est paradisus antiquus, paradisus terrenus; iste est paradisus novus, paradisus cœlestis

IX
664
2

utriusque plantator est unus idemque Dominus Deus: in illo posuit hominem quem formaverat, in isto formarit hominem, qui apud ipsum in principio erat. De illa humo produxit omne lignum pulchrum visu et ad vescendum suave, lignum etiam vitæ in medio paradisi: istam humum, istam terram suam benedixit, et ex ea cunctarum germina gratiarum, et cunctarum exemplaria virtutum produxit, ipsum quoque lignum vitæ Christum Deum et hominem, Dominum paradisi cœlestis. De illo voluptatis loco egrediebatur fluvius ad irrigandum paradisum, qui unde dividitur in quatuor capita; de isto paradyso ille fluvius, sive istud flumen egressum est, de quo psalmista dicit : *fluminis impetus laxificat civitatem Dei*, qui inde dividitur in quatuor evangelia. »

Merito ergo B. Virgo, a S. Hieronymo, Petro Damiano et aliis, imo ab Ecclesia, vocatur et invocatur « paradisus voluptatis, quem Deus omnibus gratiæ divitiis cumulavit, ac hortus deliciarum, in quo condita sunt omnia florum genera, et omnia ornamenta virtutum. » Atque a S. Ignatio, epist. 1 ad Joannem, vocatur cœleste prodigium et sacratissimum spectaculum, in quo humanæ naturæ natura sanctitatis angelicæ sociatur.

Princeps ipse sedebit per viam portæ vestibuli; ingredietur et egredietur (Ezech. XLIV, 3.) — S. Bernardus, serm. 4 de Assumpt. : « Sileat, ait, misericordiam tuam, virgo beata, si quis est qui invocatam te in necessitatibus sibi meruerit defuisse. » Et mox : « Quis ergo misericordiæ tue, o benedicta, longitudinem et latitudinem, sublimitatem et profundum queat investigare? Nam longitudo ejus

xii
665
4

usque in diem novissimum invocantibus eam subvenit universis. Latitudo ejus replet orbem terrarum, ut tua quoque misericordia plena sit omnis terra. Sic et sublimitas ejus civitatis supernæ invenit restorationem, et profundum ejus sedentibus in tenebris et in umbra mortis obtinuit redemptions. Per te enim cœlum repletum, infernus evacuatus est, instauratae ruinæ cœlestis Jerusalem, etc., ad hunc misericordiæ tumulum tota sollicitudine miseria nostra recurrat. »

Idem hom. 4 super *Missus est*: « Ex ore tuo (o virgo) pendat consolatio miserorum, redemptio captivorum, liberatio damnatorum, salus denique universorum filiorum Adam, totius generis tui. »

Idem, serm. II in die Pentec.: « Ad illam (B. Virginem) sicut ad medium, sicut ad aream Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium saeculorum respiciunt et qui in cœlo habitant, et qui in inferno, et qui nos præcesserunt, et nos qui sumus, et qui sequentur, et nati natoram, et qui nascentur ab illis. Illi qui sunt in cœlo, ut resarciantur: qui in inferno, ut eripiantur: qui præcesserunt, ut prophetæ fideles inveniantur: qui sequuntur, ut glorificentur. Et beatam te dicunt omnes generationes, genitrix Dei, Domina mundi, regina cœli. In te enim angeli lætitiam, justi gratiam, peccatores veniam invenerunt in aeternum. Merito in te respiciunt oculi totius creaturae: quia in te et per te benigna manus omnipotentis quidquid creavit, recreavit. »

Nam ut ipse ait serm. 3 super *Missus est*, in beata Maria inhabitavit plenitudo divinitatis corporaliter, puta θεοθρωπος, ut S. Dionysius, ex quo *theandricæ*,

id est *Dei viriles* actiones, quibus homines Deo reconciliavit, promanarunt.

Idem, serm. 3 *inter parvos*: « Ave, Maria, gratia plena. Bene plena quia Deo, et angelis, et hominibus grata; hominibus per fecunditatem, angelis per virginitatem, Deo per humilitatem. »

Idem, serm. *de beata Maria*: « Eva spina fuit, quæ et virum suum ad mortem pupugit, et posteritate sui peccati aculeum infixit: Rosa, Maria. Eva, spina vulnerando. Maria, rosa omnium affectus mulcendo. Eva, spina infigens omnibus mortem; Maria, rosa reddens salutiferam omnibus sortem. »

Idem, serm. 3 *in Salve, regina*: « Fiat, inquit, firmamentum et dividat aquas ab aquis. Omnibus firmamentis omnibus firmius firmamentum tu, Domina, quæ cum quem cœli cœlorum capere non poterant, cepisti, et concepisti: portasti, et non defecisti, genuisti, aluisti, educasti. Tu in medio aquarum divisisti aquas ab aquis; affectus videlicet aeternorum ab affectibus temporalium. Posuit in hoc firmamento Deus solem et lunam, et Christum et Ecclesiam; et stellas, prærogativas gratiarum multas. »

Et exultavit spiritus meus in Dei salutari meo. (Luc. I, 47).—S. Ephrem, orat. *ad Virg.* inter cœtera augusta et plurima, hæc elogia ei dat: « Regina omnium, spes patrum, gloria prophetarum, apostolorum præconium, honor martyrum, lætitia patriarcharum, cœtus omnium sanctorum, virginum corona. » Et inferius: « Ave, Dei splendidissimum vas. Ave, stella fulgentissima, ex qua Christus prodiit. Ave, canticum cherubim et hymnus angelorum. Ave, pax, gaudium et salus mundi. Ave, generis humani læti-

tia. Ave, patrum præconium et prophetarum deus. Ave, martyrum pulchritudo et corona sanctorum. Ave, piorum gloria. Ave, præstantissimum orbis terræ miraculum. Ave, paradise deliciarum et immortalitatis. Ave, lignum vite, gaudium et voluptas. Ave, vallum fidelium, et mundi salas. Ave, progenitoris Adæ resurrectio. Ave, omnium parens. Ave fons gratiæ et consolationis. Ave, refugium peccatorum et hospitium. Ave, propitiatorium laborantium.»

An non ergo meritissimo exultet B. Virgo in Deo Jesu suo?

15^o EST COLENDA PRÆ SANCTIS ALIIS CULTU
HYPERDULIE.

I
286
2 Veditque (Jacob) in somnis scalam stantem. (Gen. XXVIII, 12) — B. Virgo, in hac scala est summus gradus, cui Deus incumbit, uti mox dicam. Unde S. Thomas, 2. 2. quæst. 103. art. 4, ad 2, docet eam præ aliis sanctis hyperdulia coli, quia sua, ait, operatione fines divinitatis propinquius attigit; in incarnatione enim Christi fecit omne id, ad quod extendere se potest vis naturæ, qua deficiente, successit divinitas, ut ipsam substantiam operis deinde sola perficeret.

16^o ILLAM QUIDAM HÆRETICI CENSUERUNT ESSE DEAM,
EAMQUE UT DEAM ADORAVERUNT.

VII
487
1 Trahe me: post te curreremus in odorem unguentorum tuorum. (Cant. 1, 3.) — Porro Rupertus hæc adaptat B. Virgini visitanti Elisabeth: « Trahebatur, inquit, post Dominum femina desideriorum, trahebatur et

currebat in odorem unguentorum ac beneficiorum talium, et ipsam currere, id est in montana cum festinatione abire, erat dicere: *trahe post te*. Nam qui veraciter diligit et trahitur, et trahi cupit. » Unguentum autem Dei interpretantur beneficia: « Præiosum, ait, erat unguentum: magnum erat beneficium, quod Dominus dederat sterili conceptum tanti viri, qui spiritu et virtute Eliæ deberet præire ante Dominum, et quo major non surrexit inter natos mulierum. Tanti ac talis unguenti odorem perceperat: talis ac tanti beneficii famam sive nuntium ab ipso angelo acceperat. »

Sic B. Virgo, præ omnibus attracta a Christo tota vita post eum cucurrit, ejus sanctissimos mores præ omnibus imitando, suisque actibus repræsentando, ut ipsa fuerit viva imago Christi, ac apostolis ceterisque fidelibus purissimum speculum vitae christianæ et perfectæ, adeo ut nonnulli hæretici censuerint eam esse deam, ac ut deum adorarint. Imo S. Dionysius: « Nisi, ait, scirem unum esse Deum, hanc deam esse credissem » ut alibi citavi.